



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Gerardvs Ep. Mart. 24. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

num gemmas aestimans, quas è Pauli ore legeret. Et vide in virgine Herculem. Capta cicuravit, quibus objecta fuit, leones; domuit, quibus alligata fuit, tauros: vicit undarum, quibus immissa est, monstra; triumphavit; quos conscenderat ignes, & flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, virgini pepercere, ut sciant, qui castitatem eunt occisum, omnibus monstris infaniores se esse. Cæterum tot victoriis inclita Seleuciam venit, ubi cum agris compluribus salutiferam manum porrigeret, Medici, quibus, quod nullam iam lucelli spem viderent, oculi scilicet dolebant, in virginem infames adolescentulos armarunt. Hos lenones cum fugeret, quæ nec leones fugerat, jam jam comprehendendæ sinum rupes discedens præbuit, clausæque castitati & asylon & tumulus fuit. Itaque qui pudori periclitanti non consulit, hunc ego etiam rupe duriolem dicam. *Ex D. Basil. & Metaphr.*

S. GERARDVS EP. MART.

24. Septembris.

Genuere Venetiæ GERARDVM Gmagno suo honori; majori Vngariæ bono. Nam per hanc illi dum iter est ad sacras Solymæ terras, hospitem interceptit Rex D. Stephanus, & detentum amicâ viginti Episcopum dedit.

LI

Ni

Nihil illi post Christi honorem prius, quam Matris hujus cultus, quem toto regno magnâ animi sui voluptate, fructu hominum quàm maximo, dissemnavit. Pietatis in MARIAM illud argumentum esto, quòd ante ejus aram nunquàm nobinos ministros excubare voluit, qui thuris odore eam honorarent, & fumo tam pio proderent, quibus virginem castissime ardebat, ignes sanctissimos. Adhæc nemo unus fuit, qui ab offensa veniam non exorasset, simul interposito Patronæ MARIÆ nomine orasset; ut jam nominis hujus characteres totidem calculos candidos dixisses, quibus omnes apud illum rei absolverentur. Iam ut corpus in virtutis palæstrâ exerceret, noctu silvas & ex silvis ligna petebat, leprosis interim in lectulo Episcopi vicem dormientibus. Hostibus, qui regi Petro regnum, quod Stephanus suâ morte illi in manus tradiderat, vi eripuerant, malam mortem, sibi optimam vaticinatus est & sanguine comparandam. Et vero anno M X L I I. à globo impiorum cinctus, lapidibus primò est appetitus, sed quia innoxius hos scuto Crucis excipiebat, post currum eversum hastâ transfixus est, cum pro patricidis suis Christi & Stephani exemplo è genibus perorasset. *Ex Sur.*

B. PVER